Quelle: https://manuscripta.at/?ID=892
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Nota de alexandro et Jaddo sacerdote

lencia et in deum agit magis vero confidencia. Dicit Job .xxviij. deus: Ecce timor domini ipsa est sapiencia et recedere a malo intelligencia. Et Ecclesiastici i° plenitudo sapiencie est timere dominum et corona sapiencie timor domini. Scribit Josephus quod Alexandro cum per sabbatum iturus et Jerusalem transiturus summus pontifex Jaddus nomine pontificalibus indutus cum multitudine civium occurrerit ei extra civitatem processionaliter adeo Alexander intuens pontificem pontificali stola insignem et super infulam cidarem et laminam in qua erat scriptum nomen dei habentem descendit de equo et adiit eum solus et adoravit nomen et pontificem veneratus est et obstupuerunt principes exercitus et ludificatam mentem regis putaverunt. Solus parthemius quesivit cur sacerdotem gentis iudee adorasset, respondit non hunc adoravi sed dominum cuius principatum sacerdocii gerit nam per sompnium in tali habitu dominum conspexi adhuc in dya civitate macedonie constitutus dumque mecum cogitarem verum asiam possem optinere iussit me confidere quia ipse exercitum meum produceret et persarum michi traderet principatum. Nunc autem vidi primo in hoc sacerdote ipsius effigiem et que mi promisit providencia confido et propter hoc dominum adoravi et hominem veneratus sum nec frustra quia in templum introductus ostensus est ei textus danielis ubi legitur quendam grecum persarum potenciam proditurum et arbitratus hoc de se scriptum gavisus est sicut eventus rei postmodum declaravit in quo princeps docetur reverenciam deo exhibendam et super de eo esse fiducialiter presumendum. Secundo sapiencia ordinat principem ad se ipsum ut per circumspeccionem sui ipsius virtutibus et sciencia sit imbutus. Unde Deut. i° date ex vobis viros sapientes et gnaros et quorum conversacio probata sit in tribubus vestris ut ponam vos principes. Racio est quia Ysa. xxxij dicitur non vocabitur qui insipiens est princeps neque fraudulentus appellabitur maior et additur princeps que digna sunt principe cogitabit et ipse super duces stabit. Propter quod Salomon iij Regum iij° in oracione dicit: Ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum et servus tuus est in medio populi quem elegisti populi infiniti qui numerari et supputari non potest pre multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile ut iudicare possit populum tuum et discernere inter bonum et malum. Deinde Sap. vi° Si delectamini sedibus